

p. 37

<INCIPIT LIBER PRIMUS>

**Incipit prima primi regis**

**Siciliae particula**

Dux ubi Roggerius, Guiscardi clara propago,  
Iam fastidiret nomen habere ducis,  
Altius aspirat. Qui, delegante Calisto,  
Ungitur in regem. Rex nova regna facit. 5  
Quem fera barbaries timuit, quem Nilus et omnis  
Circulus oceani.  
Rex ut regna suis subduxit plurima regnis,  
Disposuit nomen perpetuare suum,  
Inclita cui peperit plures Albidia natos:  
Occubuit tandem mater et orba suis. 10  
Successit viduo post hanc Sibilia lecto:  
Infelix sterilem clausit aborsa diem.  
Sic erat in fatis, ut tertia nuberet uxor,  
Per quam Romani cresceret orbis honor. 15  
A magnis veniens natalibus orta Beatrix,  
Concipit a sole, lux paritura, diem.  
Virtutem virtus, docilem proba, casta pudicam,  
Formosam peperit pulchra, beata piam.  
Nascitur in lucem de ventre beata beato,  
De Constantini nomine nomen habens. 20  
Traditur Augusto coniux Constantia magno;  
Lucius in nuptu pronuba causa fuit.  
Lucius hos iungit, quos Celestinus inungit:  
Lucidus hic unit, celicus ille sacrat. 25  
Tertius in sexto digne requiescit uterque:  
Sic notat Henricus sextus utrumque patrem.  
Nominibus tantis utinam respondeat actus!  
Adsint et meritis nomina digna suis!  
Luceat in sanctis unus, celestiat alter,  
A quibus Henricus munera bina capit. 30  
Tercius antistes sacrat hanc, et tertius alter  
Copulat, et patri tertia nupta tulit.  
Non licuit quartam patri traducere nuptam,  
Nam paritas numeri displicet ipsa Deo.

p. 41

**Particula II.: Obitus Wilelmi  
secundi formosi regis Sicilie**

Post obitum, formose, tuum, que scepra gubernet 35  
Et regat, ex proprio sanguine prole cares.  
Nec facis heredem, nec, qui succedat, adoptas:  
Ex intestato debita solvis humo.  
Quis novit secreta tue purissima mentis?  
Quod tua mens loquitur, mundus et ipse taces. 40  
Certus eras certe, quoniam iustissimus heres

Expugnaturus regna parentis erat.  
Nam satis est iurasse semel, te prole carente,  
Quod tuus in genero scepra teneret avus.

\*\*\*

Iurat cum multis Archimatheus idem. 45

Post miseros morbos, post regis triste necesse,  
Nocte sub oscura, sole latente, pluit.

Postquam dimisit rex, res pulcherrima, mundum,  
Inglomerant sese prelia, preda, fames. 50

Furta, lues, pestes, lites, periuria, cedas  
Infelix regnum diripuere sibi.

Sol hominum moritur, superi patiuntur eclipsim,  
Anglica Sicilidem luna flet orba diem.

Solis ad occasum commotus eclipticat orbis,  
Di flect, astra dolent, flet mare, plorat humus. 55

p. 45

### **Particula III.: Lamentatio et luctus Panormi**

Hactenus urbs felix, populo dotata trilingui,  
Corde ruit, fluitat pectore, mente cadit:

Ore, manu, lacrimis clamant, clamoribus instant  
Cum pueris iuvenes, cum iuniore senes; 60

Dives, inops, servus, liber, pius, impius, omnes  
Exequias equo pondere regis agunt;

Cum viduis caste plorant, cum virgine nupte.  
Quid moror in lacrimis? Nil nisi questus erat!

Qui iacet in cunis, medio qui robore fretus  
Et quibus est baculus tercia forma pedum, 65

Per loca, per vicos, per celsa palacia plorant.  
Desiccant lacrimas nona peracta dies.

Tunc pater antistes fuit hec affatus ad omnes  
Nec potuit lacrimans plurima verba loqui: 70

"Hactenus herrantes correximus, hactenus atros  
Mens erat a stabulis pellere nostra lupos.

Hactenus ad caulas, nullo cogente, redibant  
Vespere lacte graves opilionis oves. 75

Hactenus unguiferos bos herrans nulla leones,  
Rostriferas aquilas nulla timebat avis.

Hactenus ibat ovans solus per opaca viator;  
Hactenus insidiis nec locus ullus erat.

Hactenus in speculo poterat se quisque videre,  
Quod mors infregit bustaque noctis habent. 80

Hactenus ardebant miseri candelabra regni:  
Ipsa sub oscura flamma cinescit humo.

Mittite, quod properet Phebi soror et Iovis uxor,  
Imperii cornu iungat utrumque sui."

p. 49

### **Particula IV.: Adversa et diversa petentium voluntas**

Post lacrimas, post exequias, post triste sepulchrum  
 Scismatis exoritur semen in urbe ducum. 85  
 In sua versa manus precordia sanguinis hausit  
 Urbs tantum, quantum nemo referre potest.  
 Postquam sacrilego fuit urbs saturata cruore,  
 A propria modicum cede quietata fuit.  
 Quisque sibi petit in regem, quem norat amicum: 90  
 Hic se maiorem querit, et ille parem;  
 Hic consanguineum querit, petit ille sodalem;  
 Hic humilem laudat, laudat et ille ferum.  
 Quisque sibi regem petit hunc, legit hunc, petit illum;  
 Non erat in voto mens pharisea pari. 95  
 Tancredum petit hic, comitem petit ille Rogerum:  
 Quod petit hic, negat hic; quod negat hic, petit hic.  
 Ambo duces equitum, rationis uterque magister;  
 Hic dator, ille tenax, hic brevis, ille gigas.  
 Intus at interea vicecancellarius ardet: 100  
 Ut sibi Tancredum gens petat, unus agit.  
 Hoc negat antistes, qui gualterizatur ubique,  
 Votaque Mathei curia tota negat.  
 Ille suis ceptis magis ac magis instat iniquis,  
 In votis animam dans nichil esse suam. 105  
 Vi, prece, promissis, trahit in sua vota rebelles,  
 Tendens multimodis recia plena dolis.  
 Pollicitis humiles, prece magnos, munere faustos  
 Vincit, et antistes simplicitate ruit.

p. 53

**Particula V.: Suasio vicecancellarii  
dissuadentis ad  
presulem Panormi**

Sol erat occiduus; faciente crepuscula Phebo, 110  
 Venit Scariothis flens, ubi presul erat.  
 Sic ait: "Alme pater, lux regni, gloria cleri,  
 Utile consilium, pastor et urbis honor,  
 Pacis iter, rationis amor, constantia veri,  
 Respice consiliis regna relicta tuis. 115  
 Consule, ne pereant; vestro succurre roseto,  
 Ne Nothus aud Boreas, ne gravis urat yeps.  
 Elige, quis regnet! Quis erit?" "Constancia regnet!  
 Sic lex exposcit, sic sua iura volunt."  
 "Disce prius mores Augusti, disce furorem! 120  
 Teutonicam rabiem quis tolerare potest?  
 Parce tuis canis: pueri tibi more licebit  
 Discere barbaricos barbarizare sonos?"  
 "Ad solium regni comitem gerit Andria dignum!"  
 "Set ius et mores et sua facta negant. 125  
 Absit, ut incestus regum mechetur in aula,  
 Absit, ut era ducum spargat aperta manus,  
 Absit, ut eveniens uxor de rege queratur,  
 Absit, ut alterius vindicet acta reus!

Aptus ad hoc Tancredus erit, de germine iusto, 130  
 Quem gens, quem populus, quem petit omnis homo.  
 Quamvis fama sibi, quamvis natura repugnet,  
 naturam redimat gracia, crimen honor.  
 Qui, quanto duce patre superbiat, hic quoque tanto  
 Ex merito matris mitior esse potest. 135  
 Non habet, ut timeas, dubium brevis unda profundum:  
 Quovis defertur remige parva ratis."  
 Talibus almi patris Matheus adulterat archam  
 Et legit ex tacito presulis ore fidem.

p. 57

**Particula VI.: Epistola ad  
 Tancredum**

Protinus accepta bigamus notat ista papiro; 140  
 Hec in nocturnis verba fuere notis:  
 "Hanc tibi Matheus mitto Tancrede salutem,  
 Quam, cito ni venias, qui ferat, alter erit:  
 Rumpe moras, venias comitatus utraque prole;  
 Prole recepturus regia scepra, veni. 145  
 Rumpe moras, postpone fidem, dimitte maritam.  
 Ipse tibi scribo, qui tibi regna dabo.  
 Per me regnabis, per me tibi regna dabuntur;  
 Fac cito quod venias, nam mora sepe nocet.  
 Inceptis desiste tuis, irascimur illis; 150  
 Nam, sicut debes, non sapienter agis.  
 Cui facis heredi regnum iurare vel urbes?  
 Quem legis heredem? Cui tua regna paras?  
 Absenti domino magnas inducitis urbes,  
 Ut iurent; aliis das, quod habere potes. 155  
 Nec te, si qua fides, nec te periuria tardent:  
 Gloria regnandi cuncta licere facit.  
 Andronicus si forte suo iuravit Alexi,  
 Ipse cruentato scepra nepote tulit.  
 Heredem regni fidei maculare pudorem 160  
 Non puduit profugum sub Manuele senem.  
 Unum natorum" si phas foret atque liceret!  
 "Debueras dure subdere sponte neci.  
 Ipse ego, triste pedes quotiens sinthoma perurit,  
 Non hominum dubito sanguinis esse reus." 165

p. 61

**Particula VII.:  
 Spuriosa unctio regni**

Nec mora, perlectis que miserat ille figuris,  
 Consuluit mentis triste cubile sue.  
 Stare pudet, properare timet, cor fluctuat intus.  
 Ut puer ascensum territus optat equi,  
 Et timet et gaudet, luit et ludit, modo sursum 170  
 Aspirat, modo se colligit inque manus.  
 Corporis exigui memori sub mente pudorem

Colligit et quatitur sicut arudo comes.  
Tandem Siciliam gemina cum prole petentis  
Obprobrium patris natus uterque tegit. 175  
Fabarie cum prole comes descendit avite;  
Illinc a multis plurima doctus abit.  
Primo mane subit, vestem ferruginis instar  
Induit: hic habitus signa doloris habet.  
Heu heu, quanta die periuria fecit in illa, 180  
Qua comes infelix unctus in urbe fuit!  
O nova pompa doli, species nova fraudis inique,  
Non dubitas nano tradere regna tuo?  
Ecce vetus monstrum, nature crimen aborsum;  
Ecce coronatur simia, turpis homo! 185  
Huc ades Allecto, tristis proclamet Herinis,  
Exclament Satiri: semivir ecce venit.  
Ne cadat obprobrium, Lachesis sua fila moretur;  
Ludibrium mundi perpetuate, dies.  
Quam bene conveniunt redimito cimbala mimo! 190  
Ne quemquam lateat, erea plectra sonant.  
Et quibus auditum sors aut natura negavit,  
Ut videant, alto simia fertur equo.  
Altera mellifluens paradisus, dulce Panormum,  
Quam male compensas dampna priora tibi! 195  
Quam male Scariothis redimit tua festa Matheus,  
Qui titulos cauta polluit arte tuos!  
Pro Iove semivirum, magno pro Cesare nanum  
Suscipis in sceptrum!

p. 65

### **Particula VIII.:**

#### **Casus anathematizati et derisio nascentis**

Debuit illa dies multo pice nigrior esse, 200  
Qua miser adscendit, quo ruiturus erat.  
Illa dies pereat nec commemoretur in anno,  
In qua Tancredus regia scepra tulit.  
Illa dies pereat, semper noctescat abysso,  
In qua Tancredus preredimitus abit. 205  
O nimis infelix memorabilis unctio regni!  
Uncxit abortivum que manus ausa virum?  
Embrion infelix et detestabile monstrum,  
Quam magis alta petis, tam graviora lues.  
Corpore te geminas, brevis athome, semper in uno, 210  
Nam puer a tergo vivis, ab ore senex.  
Hoc ego dum dubia meditarer mente profundum,  
Que res nature dimidiasset opus,  
Egregius doctor et vir pietatis amicus  
Explicuit causas talibus Urso michi: 215  
Ut puer incipiat, opus est ut uterque resudet,  
Ex quo perfectus nascitur orbe puer.  
Non in Tancredo sementat uterque parentum,

Et, si sementent, non bene conveniunt.  
 Dux alter de stirpe ducum, de stegmate regum, 220  
 Altera de media stirpe creata fuit.  
 Naturam natura fugit: fornacis aborret  
 Gemma luem, nec humus nobilitate coit.  
 Evomit humorem tam vilis texta virilem:  
 Concipitur solo semine matris homo. 225  
 Quantum materies potuit pauperrima matris,  
 Contulit et modicum materiavit opus.  
 Hunc habuisse patrem credamus nomine, non re:  
 Rem trahit a matre dimidiatus homo.  
 Qui purgata solo bene culto semina mandant, 230  
 In lolium versos sepe queruntur agros.  
 Sepius infelix conceptum vacca iuencum  
 Monstriferumque pecus mollis abortit ovis.

p. 69

**Particula IX.: Abortivi fallax  
 iniquitas proscribit ascriptos**

Ridiculum, natura, tuum: res, simia, turpis,  
 Regnat, abortivi corporis instar homo. 235  
 Qua ratione? Sibi sacra convenit unctio regni,  
 Quem negat heredem non bene nupta parens?  
 Que vis, que probitas potuit, que fama, quis ensis  
 Maiestativum promeruisse decus?  
 Non sua semper amans, quotiens, qui nil dedit illi 240  
 Seu dedit et petiit, non minus hostis erat?  
 Moribus et vite pauper, nec fama repugnat,  
 Et modicas vires et breve corpus habet.  
 Ingenii vitemus opes et recia mentis, 245  
 In quibus egregios scimus obisse viros.  
 Cum foret ille tuus falso comes, Andria, captus,  
 Codoluit magnis rebus obesse fidem;  
 Quem periura fides, quem pacis fedus inique  
 Fallit, et obscuro carcere clausus obit.  
 Quam male credis aque trepidantia vela quiete, 250  
 Quas hodie Zephirus, cras aget Eurus aquas!  
 Heu ubi tanta iacet saturate copia mense,  
 Que numeri nulla lege coacta fuit!  
 Heu ubi tanta iacet maturi forma gigantis,  
 Iusticie rector! 255  
 Prodigus in dando vix vix retributa recepit,  
 Prevenit meritum semper aperta manus.  
 Hunc aliosque viros fallax intoxicat anguis,  
 In quibus apparet Cesaris esse fides.

p. 73

**P<artacula> X.:  
 Imperialis unctio**

Serta recepturus cum Cesar venit in urbem, 260  
 Exultat pompis inclita Roma novis.

Ad Petri devenit eques venerabile templum,  
 Quo pater antistes preredimitus erat.  
 Balsama, thus, aloë, miristica, cinnama, nardus,  
 Regibus assuetus ambra modestus odor, 265  
 Per vicos, per tecta fragrant redolentque per urbem,  
 Thuris aromatici spirat ubique rogas.  
 Vestit odora viam mirtus sociata diathis,  
 Luxuriant croceis lilia iuncta rosis.  
 Prima domus templi bisso vestitur et ostro, 270  
 Stellificat tedis cerea flamma suis.  
 At domus interior, ubi mensa coruscat et agnus,  
 Purpurat aurato, res operosa, loco.  
 A vice, Petre, tua pius introducitur heros:  
 Inclitus, altaris sistitur ante gradus. 275  
 Primo papa manus sacrat ambas crismate sacro,  
 Ut testamentum victor utrumque gerat.  
 Brachia sanctificans, scapulas et pectus inungens:  
 "In Christum domini te deus unxit", ait.  
 Post hec imperii correptum tradidit ensem, 280  
 Quem Petrus abscissa iussus ab aure tulit.  
 Ensis utrimque potens, templi defensor et orbis,  
 Hinc regit ecclesiam, corrigit inde solum.  
 Iura potestatis, pondus pietatis et equi,  
 Signat in Augusta tradita virga manu. 285  
 Anulus ecclesie, regnorum nobilis arra,  
 Offertur digitis, Octaviane, tuis.  
 Quam geris aurate, Cesar, diadema thiare,  
 Signat apostolicas participare vices.  
 Post hec cantatis ad castra revertitur ymnis, 290  
 Mandat, in Apuliam quisque quod ire paret.

p. 77

### **Particula XI.: Regni legatio**

Suscipit interea legatos scripta ferentes,  
 Quos proceres regni, quos docuere duces.  
 Primus magnanimus scripsit comes ille Rogerus,  
 Scripserat infelix semivir ipse comes. 295  
 Scripsit Consanus, patrio comes ore venustus,  
 Scripsit Molisius, inclitus ille comes.  
 Scripsit Tricarici comes et comes ille Gravini,  
 Scripsit cum triplici prole Philippus idem.  
 Et gemini fratres magni scripsere Lupini, 300  
 Scripsit et antistes hoc Capuanus idem.  
 Scripsit et antistes, dominorum gemma Panormi,  
 Scripserat et presul Bartholomeus idem.  
 Scripsit cum multis pius archilevita Salerni,  
 Cuius pura fides purior igne manet. 305

p. 81

### **Particula XII.:**

#### **Primus imperatoris ingressus**

### **in regna Sicilie**

En movet imperium mundi fortissimus heros,  
Et venit armata nobilitate ducum.  
Non patitur falso laniari principe regnum,  
Quod sibi per patrios iura dedere gradus.  
Hoc avus, hoc proavus quandoque dedere tributis, 310  
Que pater a Siculis regibus ipse tulit.  
Si numerare velis genitos a Cesare magno,  
In medio Carolus fulminat orbe tuus.  
Nec minor est Fredericus eo, qui duxit ab illo  
Et genus et septrum, nomen et esse tuum. 315  
Cuncta sibi, quecunque vides, servire coegit:  
Vicit in hoc Carulos, fortior hasta, suos.  
Quantum laudis habet mundus quantumve triumphi,  
Fama minus titulis asserit esse suis.  
In modicum reputans tandem pro viribus orbem, 320  
In Domino voluit spe meliore frui.  
Alter in hoc Moyses, aliam populosus Egyptum  
Deserit, ut redimat regna domumque dei.  
Iam sua vota videns inter sua gaudia, Christo  
Migrat et eternis militat albus equis. 325  
Plena postestatis fastidit ymago triumphos;  
Est satis ex omni parte videre suum.  
Ex hoc, ex aliis verus dinosceris heres,  
Nam tua Pipinis gloria maior erit.  
Augustos imitare tuos, defende tuum ius, 330  
Coniugis et magni iura tuere patris.  
Tam tua quam soceri limes conterminet unus,  
Nam ius consortis in tua iura cadit.

p. 85

### **Particula XIII.: Castrorum inclinatur proceritas**

Castra movens Cesar Montis volat arva Casini,  
In quo Rofridus, cura fidelis, erat. 335  
Cum grege, cum populo fecit, quod debuit abbas:  
Sola refrenavit Cesaris arma fides.  
Quando capta est per vim Rocca de Archis  
Subditur inperio nota vi gloria castris,  
Quo dux a misero rege Burellus erat.  
Exemplum cuius quam plurima castra sequuntur, 340  
Archis enim 'princeps' nomen et esse gerit.  
Quam castigato natura creavit acervo,  
Hostes non recipit, saxa nec arma timet.  
Quando Capuanus antistes gaudens Augustum recepit  
I, Capuane pater, nec te consulta morentur;  
Armos quadrupedis calcar utrumque cavet. 345  
Quem tua spectabant suspiria, vota petebant,  
Ecce venit dominus, quem tua vota petunt.  
Assigna populos aquilis victricibus, orna  
Menia, quod doleas, ne furor ensis agat.



Postpositura fidem tua gens, sanctissime presul,  
Suscipit ancipiti corde salutis opem. 350

p. 89

**Particula XIV.: Urbs Neapolis**

**obsessa resistit**

Ut mare spumescit subito, nubescit ut aer,  
Obsidet ut quercum multa columba brevem,  
Sic tua, Parthenope, confinia Cesar obumbrat,  
Et, nisi pugnassent munera, victa fores. 355

Iussit ut a dextris Cesar tentoria figi,  
Circuit in celeri menia celsus equo.  
Sat premunitam gaudens circumspicit urbem  
Menibus et vallo, turribus atque viris. 360

Machina construitur, celsis se menibus equans  
Porrigit ad lapides brachia longa graves.  
Ex hac Colonii pugnant, hac parte Boemi,  
Hac dux Spoleti menia temptat eques. 365

Ex hac turma virum plenis succinta pharetris  
Pugnat, et hac equitum plurima tela micant. 365

Hic notat in muro, sinuato cominus arcu,  
Mussantem cupidum bella videre virum;  
Hic alium fantem convicia plura minantem  
Colligit et medio corrigit ore minas. 370

Unus erat, qui saxa suos iactabat in hostes;  
Vocibus insultans, talia verba dabat:  
"Iam sine cesarie vel iam sine Cesare facti,  
Vix alacer de tot milibus unus erit. 375

Noster si qua potest Augustus, more leonis  
Augustum vestrum tondet et eius oves."  
Hunc aliquis fantem baliste cornua flectens  
Percutit, et summa lapsus ab arce ruit. 375

p. 93

**Particula XV.: Comitibus**

**percussio et Salerni exaudita**

**petitio**

Cum comes egregius, Tancredi gloria spesque,  
Cesaris invicti cernere castra velit,  
Se tegit electis et menia scandit in armis, 380  
Illudensque viris, ars quibus arcus erat.

Quem quis percipiens liceum plicat auribus arcum  
Lapsaque per medias arsit arundo genas.  
Ut fragor antique nemus ylicis implet et auras,  
Turbine que rapido vulsa vel icta ruit, 385

Sic a strage tua, comes, omnis murmurat etas,  
Et rex ille tuus de breve fit brevior.

At miser antistes comitis succingitur ense,  
Polluit oblita religione manus.  
Pars rate tuta vagans lunatos explicat arcus, 390  
Per mare quos sequitur nante Boemus equo.

Supplicat interea preciose nuncius urbis,  
 Exponens iuvenum pectora, vota senum,  
 Corda puellarum, mentes et gaudia matrum,  
 Et quicquid voti mens puerilis habet. 395  
 Sic ait archoticon: "Veniens tua nobilis uxor  
 Sublimis sedeat patris in urbe sui.  
 Hic victor fera bella geras; tua nupta Salerni  
 Gaudeat et dubiam servet in urbe fidem.  
 Nam si bella placent, non desunt prelia longe: 400  
 Hen turris maior bella diurna movet;  
 Est prope non longe Iufonis inutile castrum,  
 In quo furtivi militis arma latent.  
 Est prope dulce solum, nobis satis utile semper,  
 Ebolus, aspirans, quod petit urbis honor. 405  
 Est prope Campanie castrum, specus immo latronum,  
 Quod gravat Eboleam sepe latenter humum."  
 Hec ubi legatus fert coram principe mundi,  
 Magnanimis princeps: "Quod petis", inquit, "erit."  
 Protinus almipater Capuane sedulus urbis, 410  
 Suscipit a domino talia iussa suo:  
 "I, bone namque pater, mentis pars maxima nostre,  
 Facturus semper, quod mea nupta velit."  
 Hec ubi legatus notat impetrata Salerni,  
 Sollemnem peragunt gaudia plena diem. 415  
 Exiit edictum dominam cras esse futuram,  
 Cuius in adventum se sibi quisque parat.

p. 97

**Particula XVI.: Augustalis  
 ingressus in urbem**

Sol ubi sydereas ammovit crastinus umbras,  
 Urbs ruit et domine plaudit osanna sue. 420  
 Trinacriis pars fertur equis, qui flore fruuntur  
 Oris et etatis, pars sedet acta rotis.  
 Ipsa puellaris vittis insignis et auro,  
 Occurrit cultu turba superba suo.  
 Mollis et insolitus gressus fastidit arenam,  
 Tardat arenosum litus et unda pedes. 425  
 Cinnama, thus, aloe, nardus, rosa, lilia, mirtus  
 Inflamant nares, aera mutat odor.  
 Tantus odor nares nardinus inebriat afflans,  
 Quod nova perfundi balsama quisque ferat.  
 Iunonem spectare suam quis tardat in urbe? 430  
 Cesaris in laudes cantica nemo silet.  
 Ut modulantur aves foliis in vere renatis  
 Post noctes yemis, post grave tempus aque,  
 Non aliter verno venienti plauditur ore;  
 Testantur pariter: luminis ecce dies! 435  
 Ingreditur patrias tandem Constancia sedes,  
 Que Tancredinam sentit in urbe fidem.  
 Quam plures tacita collecti voce susurrant,

Inter se referunt omina versa ducum.  
 Mons fugit a castro, quantum volat acta sagitta 440  
 Et quantum lapides mittere funda potest.  
 Hunc super ascendunt, fit machina, pugna vicissim  
 Contrahitur, variant mutua bella vices.  
 Hinc fera tela volant, fluviales inde lapillos  
 Funda iacit, lassant iactaque saxa manus; 445  
 Et modo tentantes mixtim prope menia pugnant,  
 Pugnando miscent tela manusque sonos.  
 Ut canis inter apros furit, e quibus eligit unum,  
 Ut rapit accipiter, quam legit inter aves,  
 Non aliter nostri vellunt ex hostibus unum; 450  
 Commixto rapiunt ordine sepe duos.

p. 101

**P<artacula> XVII.: Legatorum  
 exquisicio et principis  
 infirmitas**

Principis interea veniens legatus in urbem,  
 Eligit e multa nobilitate viros,  
 Quos ad Neapolim mittit, qui multa timentes  
 Expediunt dubia mente laboris iter. 455  
 Inter quos fuit Alfanides cognomine Princeps,  
 Aldrisius, populi publica lingua sui,  
 Libraque iudicii Romoaldus; cetera turba,  
 Quid velit, auguriant, nescia causa vie.  
 Principis ut veniunt ad castra, magalia circum 460  
 Herrant, mirantes agmen et arma ducum.  
 Exquirunt spectare suum per castra tonantem,  
 Nec datur accessus, dux ubi magnus erat.  
 Attamen ingreditur, quem gens cognominat Archos;  
 Exclusis sociis, quem petit, unus adit. 465  
 Ut videt Augustum magnis a febris actum  
 Lentaque purpureo menbra iacere thoro,  
 Tum color et species, tum sanguis ab ore recessit,  
 Tristis et exaguis procidit ante thorum.  
 Ut gravis e sopno cum mater in ubere natum 470  
 Invenit exanimem, territa mente caret,  
 Sic ruit in gemitum lacrimabilis archilevita,  
 Certans pro tanto principe velle mori.  
 Tunc pius Augustus, quamvis grave corpus haberet,  
 Conatur tenui taliter ore loqui: 475  
 "Parce tuis oculis, fidissima cura Salerni,  
 Sum bene, ne timeas, tercia febris abest.  
 Fer sub veste manum, pulsum perpende quietum,  
 Spes est de vita, quod mea menbra madent."  
 Plurima cum vellet, sopor est furatus ocellos, 480  
 Hinc rapit intuitus, surripit inde loqui.  
 Artis ypocratice servans mandata Girardus  
 Attente famulis ora tenere iubet.  
 Nature servabat opus studiosus amicum,

Nam sopor et sudor signa salutis erant. 485  
Exiit ad socios tandem pius archilevita,  
Conantur lacrimae non minus ore loqui.  
Alter in alterius iactabant lumina vultus,  
Miscentes lacrimas, mutua verba dabant.

p. 105

### **Particula XVIII.:**

#### **Exeundi prohibitio**

Cereus ille comes sociis munitus et auro 490  
Mandat, ut educat nullus ab urbe pedem.  
Sic ait: "In densis latitans philomena rubetis  
Non timet adverso mitis ab ungue capi.  
Cum domino mundi quis enim contendere bello  
Ausus erit, vel quis obviet ense pari? 495  
Si placet, o cives, meliori mente fruamur:  
Pro nobis aurum pugnet et arma ferat." (Nicolaus:)  
"Si sapitis cives, comes exeat, instet in armis:  
Laus est pro domino succubuisse suo.  
Parcite parcendis, electis parcite vestris, 500  
Quisque, suas vires, noverit, unde timet;  
Robore forte caret medio, quam cernitis, arbor:  
Sub vacuo spirat cortice nulla fides.  
Pronior ad casum, quanto procerior arbor,  
In quam ventus agit, fulminat ipse deus." 505  
Quid Nicolaus agit, puer actu, nomine presul?  
Quid nisi femineas abluit ipse genas?  
Credite pastori pecudes, pecudes, alieno,  
Tam male qui proprium curat ovile suum!  
Quid facis, o Caesar? Quid frustra menia temptas? 510  
Obnebulant socios regia dona tuos,  
Qui falso remeare rogant, ne morbus in artus  
Fortius insurgat, qui grave reddat iter.

p. 109

### **Particula XIX.: Imperialis**

#### **ab obsidione regressus**

Ut videt ere duces saturatos Cesar et aurum  
Eructare suos, mens subit ista loqui: 515  
"Qui fluvios nostros dudum siccastis Yberos,  
In fontes Siculos mergitis omne caput.  
Equor adhuc superest, licet inpotabile, vobis,  
Nec mare, quod saturet vos, nec abyssus habet."  
Nec mora comperta tunc Cesar fraude suorum 520  
Arripit a tritea febre coactus iter.  
O quantum pene quantumve timoris in omnes  
Sollicitans animos intulit illa dies!  
Ut coadunat oves timor a pastore relictas,  
Quas canis exclusit solus ab ore lupi, 525  
Non aliter, quos imperii pia gratia fovit,

Hic flet, et ille dolet: regnat ubique metus.  
 Quid tibi tunc animi, que mens fuit, archilevita,  
 Cum recipis vetitum posse videre Iovem,  
 Et tamen evelli subito tentoria cernis! 530  
 Nox erat et castris nec fragor ullus erat.  
 Funes comburi, testudinis ossa cremari  
 Cernis et auxilium Palladis omne rui.  
 Ut quatit aura novas resecande messis aristas,  
 Ut movet equoreas Eolus asper aquas, 535  
 Sic sic Alfanides patrii cognominis heres  
 Et sine spe reditus et sine mente tremit.  
 Tunc dolor et lacrimae singultibus ora fatigant,  
 Tunc mens Socratici pectoris omnis hebet.  
 Anxius ignorat, quid agat. Responsa referre 540  
 Ulla times? Labor est Itala castra sequi.  
 Quem non matris amor nec presens gloria rerum  
 Nec fratrum pietas nec grave vicit iter,  
 Imperium sequitur, subit alta mente labores.  
 \*\*\*  
 At Tancredini redeunt, rumoribus implent 545  
 Urbem, de magno principe falsa ferunt:  
 Hic: "Obiit!", ille: "Obiit!", "Calet!" hic, "Frigescit!" et ille  
 Asserit; incerto fluctuat ore fides.

p. 113

**P<artacula> XX.:**

**Fidei oblita religio**

Ut rude murmur apum fumoso murmurat antro,  
 Sic novus orbanda rumor in urbe sonat. 550  
 Hic tres, hac septem, bis sex ibi, quattuor illic  
 Conveniunt, tenui murmure plura loqui.  
 Consilio stimulata malo gens seva Salerni  
 Peccatum redimit crimine, fraude dolum.  
 Obsequium prestare putant periuria regi, 555  
 Tancredum curant pacificare sibi.  
 Ast ubi circumdant inmensa palacia regum,  
 Que Terracina nomen habere ferunt,  
 Exclamant: "Quid agis, Constancia? Stamina pensas?  
 Fila trahis? Quid agis? An data pensa legis? 560  
 Cesar abest. Nos certe et te, miseranda, fefellit!  
 Quem nimis ardebas, dic, ubi Cesar abit?  
 Quem tociens fausto iactabas ore potentem,  
 Dic, ubi bella gerit, qui sine crine iacet?  
 Felix Parthenope, que nec te sola recepit! 565  
 Urbs pro te, quod te viderit, ista ruet.  
 Te vir dimisit. Non vir set apostolus egit:  
 Hostia pro nobis predaque dulcis eris."  
 In dominam iaciunt furibunde spicula lingue  
 Saxaque cum multis associata minis. 570  
 Quicquid funda potest, quicquid balistra vel arcus,  
 Nititur in dominam!

Ut cornix aquila strepitat quam plurima visa,  
 Quam fore noctivolem garrula credit avem  
 Unguibus et rostris furit et movet aera pennis 575  
 Inque modum fabri flamina versat avis,  
 Hic ferit, ille salit, saliens sequiturque cadentem,  
 Versat <ut> inverso malleus ere vices ,  
 Sic furit in dominam gens ancillanda potentem,  
 Vertitur in lolium triste cremanda seges. 580

p. 117

**P<artacula> XXI.: Imperialis**

**populo resistenti loquutio**

Ex hinc Teutonicus verbis respondet et armis:  
 Ospes in ignota dimicat orbe fides!  
 Illa tamen constans, ut erat de nomine constans,  
 Et quia famosi Cesaris uxor erat, 585  
 Hostes alloquitur audacter ab ore fenestre.  
 Sic ait: "Audite, quid mea verba velint.  
 Saltim dum loquimur, compescite tela manusque.  
 Pauca loquar, multo pondere verba tamen.  
 Gens magne fidei, rationis summa probate,  
 Que sim, que fuerim, nostis, et inde queror. 590  
 Cesar abit vel obit, vobis ut dicitur; ergo,  
 Si placet, exul eam Cesaris orba mei.  
 Ad mentem revocate fidem, cohibete furorem,  
 Nec vos seducant littera, verba, sonus.  
 Nec quociens resonant in nube tonitrua celi, 595  
 Emissio tociens fulminat igne deus.  
 Si presul scripsit, tamen, ut reor, irrita scripsit.  
 Hic patrie fraudis curat et artis opus,  
 Hic trahit in species scelerum genus omne malorum;  
 Quod patris ora vomunt, filius haurit idem. 600  
 Credite pastori profugo, qui natus ab ydra  
 Ut coluber nunquam degenerare potest;  
 Est igitur virtus quandoque resistere verbis  
 Et dare pro fidei pondere membra neci.  
 Si pugnare licet, superest michi miles et aurum: 605  
 In propriam redeat, consulo, quisque domum.  
 Est michi Corradus Capue, Dipoldus in Archi:  
 Hic pars milicie, dux erit ille ducum.  
 Darius Eboleos, ut ait michi nuncius, agros  
 Hac cremat, hac radit ille Thetinus oves. 610  
 Gens pure fidei mediis exquirat in armis  
 Velle meum, pro me sponte parata mori;  
 Nec sine velle meo, multo licet hoste cohacta,  
 Ad Tancredinum vult repedare scelus.  
 Huius ad exemplum, cives, concurrite gentis, 615  
 Que sit in Ebolea, discite, gente fides.  
 Ebole, ni peream, memori tibi lance rependam,  
 Pectoris affectus, que meruere boni."  
 Durus ad hec populus truculentior aspide factus

Acrius insurgit. 620

p. 121

**Particula XXII.: Augustalis**

**oratio pro vindicta**

Illa, genu flexo, pansis ad sidera palmis,

Plenaque singultu fletibus uda suis,

Sic orans loquitur, clausis hinc inde fenestris,

Fecerat ambiguam clausa fenestra diem :

"Alfa deus, deus O, mundi moderator et auctor, 625

Ex hiis vindictam, supplico, sume dolis.

Alfa deus, deus O, liquide scrutator abyssi,

In me periuras contine, queso, manus.

Alfa deus, deus O, stellati rector Olympi,

Pena malignates puniat alta viros. 630

Alfa deus, deus O, iuris servator et equi,

Iam tua conflictus vindicet ira meos.

Alfa deus, deus O, terre fundator amicte,

In me pugnantes ferrea flamma voret.

Alfa deus, deus O, rerum deus omniceator, 635

Supplicis ancille respice, queso, preces.

Iram congemines, acuas penamque furorem

Accendas, tumidos comprime, perde feros,

Contine fastosos, instantes perde superbos,

Da pacem, gladios divide, scinde manus. 640

Arma cadant, arcusque teras, balistra cremetur.

Rumpe polum, specta, collige, scribe, nota.

Hos notet exilium, scribat proscriptio, plures

Obprobrium signet.

Rumpe polum, trans mitte virum romphea geretem, 645

Eruat ancillam, dissipet ora canum.

Alfa deus, deus O, genitor, genitura creatrix,

Quod precor, acceptes, Alfa deus, deus O."

p. 125

**P<artacula> XXIII.: Oratio**

**salutaris**

"Ex oriente deus, Augusti dirige gressus,

Ut meus hinc Cesar te duce sospes eat. 650

Ex oriente deus, conserva Cesaris actus,

Ille tuus Raphael preparet eius iter.

Ex oriente deus, Romanum protege solem,

Ut repetat patriam sospite mente suam.

Ex oriente deus, custodi nuper euntem, 655

Quo tibi pro magno munere vota feram.

Ex oriente deus, dulcem comitare maritum,

Emolli duos, saxea colla doma.

Ex oriente deus, tumidos tere, perde superbos,

Coniugis angelicum fac redeuntis iter. 660

Ex oriente deus, qui regnas in tribus unus,

Redde virum famule, que perit absque viro.

Cui mare, cui tellus, cui celum vivit et ether,  
 Vir meus inter tot dona superstes eat.  
 Si pereo, per eum pereo, quia Cesare vivo 665  
 Triste nichil patiar, dum modo capta ferar."  
 Proditor interea Gisualdi venit Elias,  
 Exhonerans famulas sera podagra manus:  
 Sanguine non hominum didicit lenire dolorem  
 Nec sapit antidotum, seve Mathee, tuum. 670  
 Qui, videt ut dominam, quasi gallicus ore rotundo  
 Fatur, et in domina, glis satur, exta vomit:  
 "Heia, si qua potes, nostris virtutibus insta!  
 Eia, si qua potes bella movere, move!  
 Qui cupit omne, quod est, et parti cedere nescit, 675  
 Amittet totum.  
 Sic tibi, dum velles totum, quod volvitur evo,  
 Contigit, et regno pro brevior cadis.  
 Est opus, ut venias merito captiva Panormum;  
 Sic populus, sic rex: hic petit, ille iubet." 680

p. 129

**<Particula> XXIV.: Domine  
coacta descensio**

At domine vultus, pallescere nescius unquam,  
 Inmodicum pallens, lumina crispant humo.  
 Nec mora pallor abit: proprii rediere colores.  
 Simplicibus ludunt lilia simpla rosis,  
 Ut tenuis quandoque diem denigrat amictus 685  
 Et subito, lapsa nube, diescit humus.  
 Pauca quidem loquitur: "Veniam, Tancrede, Panormum  
 Et veniam, veniam non aditura tuam."  
 Protinus obiecit pactum: "Gens annuat", inquit,  
 "Ut meus hinc salvo pectore miles eat." 690  
 Instanti populo placuit sententia talis,  
 Nec mens in tantis omnibus una fuit.  
 Nam Tancredini celebres nova sabbata libant,  
 Non minus inde dolent, archilevita, tui.  
 Exultant illi munus meruisse triumphi, 695  
 Qui titulum tante prodicionis habent.  
 Guilelmus de Pistilio, vir doctus in armis,  
 Maluit exilium quam temerare fidem.  
 Iamque parata ratis, centeno remige tuta,  
 Accelerat, Zephrus dum mare lentus agit. 700  
 O nova consilii species! Prudentia maior!  
 Induit auratos ut nova nupta sinus,  
 Induit artiferos preciose vestis amictus,  
 Ornat et inpiguit pondere et arte comas!  
 Aurorant in veste rose nec aromata desunt, 705  
 Forma teres Phebi pendet ab aure dies.  
 Pectoris in medio coeunt se cornua lune;  
 Ars lapidum vario sidere ditat opus.  
 Coniugis amplexus tanquam visura novos



I, XXV - XXXV (pp. 133-173)

p. 133

**<Particula> XXV.: <Domine  
adventus et loquutio ad  
Tancredum>**

Et modo vela tument, modo brachia iacta resudant,

Attenuat ceptam remus et aura viam.

Suspectas, Palinure, tuas ratis effugit undas,

Nam nova trans vires preda fatigat aquas.

Iam presentit aquas dubia vertigine motas,

715

Quas vomit et subito gutture Scilla rapit.

Iam ratis, infide metuens vada ceca Caribdis,

Exercet vires remige, voce, manu.

Messanam veniunt, ubi rex et curia tota

Sperabant facilem, re perhibente, fugam.

720

A rate descendens, ylari Constantia vultu

Obvia Tancredo triste repensat ave.

Tandem suspirans Auguste frigidus inquit:

"Non tibi tocius sufficit orbis honor.

Quid mea regna petis? Deus est, qui iudicat equum,

725

In se sperantis vindicat acta viri.

Te tua fata michi turbantem regna dederunt,

Hinc tuus egroto corpore Cesar abit."

Iulia respondit: "Quod ais, Tancrede, recordor:

Ut michi, retrogradum iam tibi sidus erit.

730

Quidquid fata volunt, stat inevitabile semper,

Per varias vario curritur axe vices.

Non tua regna peto, set patris iura requiro.

An tu Rogerii filius? Absit! Ego

Heres regis, ego matris iustissima proles;

735

Lex patris et matris dat michi, quicquid habes.

Regna tenes <patris> tamen, usurpata set illa;

Vivit, inexperta qui petat ense suo.

Que leges, que iura tibi mea regna dederunt?

Nam Lichium vobis gratia sola dedit."

740

Post hec in thalamos patrios se leta recepit,

Italicos mores inperiosa gerens.

p. 137

**<Particula> XXVI.:  
<Tancredus futura cogitans  
lacrimatur>**

Ut videt Augustam Tancredus, gaudia vultu

Pro populo simulans, pectore tristis erat.

Ingreditur thalamum, foribus post terga reductis,

745

Precipitans humili frigida membra thoro.  
 At genus incertum, sexus iniuria nostri,  
 Talia Tancredum verba dedisse ferunt:  
 "Eu michi, quis poterit contendere Caesaris armis?  
 Hactenus Augusti mitior ira fuit. 750  
 Nec me turrite celsis in montibus urbes  
 Nec me defendent oppida iuncta polo.  
 Non opus est bello, quia me fortuna reliquit,  
 Iam vires miserum destituere senem.  
 Mille meos equites ex augustalibus unus 755  
 Vincit et unius lancea mille fugat.  
 Unus Rombaldus regnum michi cum tribus aufert,  
 In Diopuldeo nomine terra tremit.  
 Experiar superos: si forte videbor in armis,  
 Nostram Dipuldus non lacerabit humum. 760  
 Absit, ut experiar Dipuldi nomen et arma,  
 Nec videant oculos lumina nostra suos.  
 Est michi congenatus, procera gigantis ymago,  
 Sat probus et fortis, set nimis arma timet.  
 Sunt michi non pauci, quos res michi fecit amicos. 765  
 Si res defuerit, denique nullus erit.  
 Felix argentum, set eo felicius aurum,  
 Nam ius a superis, a Iove numen emit.  
 Eu, si forte cadet salientis vena metalli,  
 Quis michi, quis puero causa salutis erit? 770  
 Sex sumus, inbelles: ego, nate, filius, uxor;  
 Infelix pelago turba relicta sumus."

p. 141

**<Particula XXVII.: Corradus  
obsessus suos alloquitur>**

Urbs antiqua, suis uberrima denique campis,  
 Mater opum, felix presule, plena viris.  
 Ubere luxuriat tellus, atumnus habundat, 775  
 Vite maritatur populus, amnis amans.  
 Ordine dispositas eadem complectitur ulmos,  
 Incola fastidit, quod fluit uva merum.  
 Ter sata, ter seritur, tria dat responsa colono,  
 Ter sub sole novo semina pensat humus. 780  
 Urbem, quam loquimur, comes obsidione coartat,  
 Que sola potuit proditione capi.  
 Hanc ubi Corradus vi defensare fatigat,  
 Dicitur his verbis ammonuisse suos:  
 "Qui mecum, proceres, gelido venistis ab axe, 785  
 Cernite, quid populus, quid locus iste velit.  
 Et locus et populus nostro diffidit amori,  
 In nos astiferas cernitis esse manus.  
 Quisque suum nudo pugnet caput ense tueri,  
 Nec prece nec pretio gens facit ista pium. 790  
 Libertas est Marte mori, servire malignum:

Nobis vita mori, vivere pena datur.  
Hinc Augustus abest, Augustaue capta tenetur:  
Quid superest nobis? Restat in ense salus.  
Spes est nulla fuge, quia nos foris obsidet hostis, 795  
Intus adest hostis, nec domus hoste caret.  
Sicut aper ferus a canibus circumdatus, unco  
Dente furens, multos ultus, ab hoste cadit,  
Sic vestrum, si forte cadat, sit nullus inultus,  
Victorem victi penituisse iuvet." 800  
Exhinc ad cives ita paucis explicat ore:  
"Vos, precor, ospitibus non temerate fidem.  
Augusto servate fidem. Si forte, quod absit,  
Tancredum vestrum sanctificare placet,  
Nos hinc incolumes obnixius ire rogamus; 805  
Non hic a longo venimus orbe mori.  
Augustus si noster abest trans climata mundi,  
Ipsum prolixas nostis habere manus."  
Actenus arrecta varium bibit aure tumultum  
Et stupet et memor est se superesse virum. 810  
Ut cum mella volunt examina rapta tueri,  
Indiscreta volant, sollicitata fremunt,  
Sic in Teutonicos urbs pene tumultuat omnis,  
Regem polluto nominat ore suum.  
Nonnisi Tancredum clamans se noscere regem, 815  
Preponit monstrum tam breve stulta Iovi.

p. 145

**<Particula XXVIII.:  
Comitis Riccardi proditio  
et Corradi deditio>**

Interea comes ante fores preludit in armis,  
Sinones multos novit in urbe viros.  
Hen, subito patuere fores, foris obice fracto,  
Fit civile nephas, fit populare scelus. 820  
Exter ab ignoto cadit, ospes ab ospite falso.  
Hic latus ense cavat, demetit ille caput.  
Loricam lorica premit, furit ensis in ensem,  
In clipeos clipei, cassis in era ruit.  
A galeis galee fumascunt, ensibus enses, 825  
Tela vomunt flammam iactaque fulgur agunt.  
Ospitis et cari telo fodit ille cerebrum.  
Hic ferus, ille ferox, hic ferit, ille ferit;  
Hic salit, ille salit, tenet ille, tenetur ab illo;  
Hic levis, ille celer, aptus uterque fuge. 830  
Hic caput, ille caput certat iactare periclis,  
Opponit telis hic latus, ille latus.  
Hii certant clipeis, ludentes passibus equis,  
Ut ludit socio sepe maritus ovis.  
Hic ruit a muris precepsque suum trahit hostem: 835  
A victo victor, victus ab hoste cadit.

Ut solet a capto Iovis armiger angue ligari,  
 Hic ligat, ille tenet, nexus uterque perit:  
 Non aliter, qui bella gerunt in menibus altis,  
 Cum duo se miscent, sunt sibi causa necis. 840  
 Alter in alterius subnectens brachia dorsum,  
 Si ruit, ambo ruunt, unus et alter obit.  
 Cantet inauditum, cantet mirabile dictu  
 Nunc mea Calliope!  
 Dum comes iret eques spectatum menia circum, 845  
 Et venisset, ubi maxima turris erat,  
 Hunc vir Teutonicus summa speculatus ab arce  
 Se dedit in comitem, lapsus ad ima miser,  
 Et nisi fata virum rapuissent [a] strage ruentis,  
 Tunc comes elapsum triste tulisset honus! 850  
 Ut levis inbriferas per nubes fulgurat ether  
 Cum sua per rimas nubila ventus arat:  
 Non secus in radiis procul armatura coruscat  
 Nec non cristatum fulgurat omne caput.  
 Post procerum cedes, vitam Corradus et arma 855  
 Vendicat et socios, quos superesse videt.  
 Hunc comes et socios dextra securat et ore:  
 Non poterant proceres tot sine cede capi.  
 Ne tabo solvatur humus, quadriga laborat:  
 Mergitur in fluidis omne cadaver aquis. 860

p. 149

**<Particula XXIX.: Tancredus  
 mittit Constanciam  
 uxori scribens ei>**

Cor breve Tancredi merito diffidit ubique,  
 Tam sibi quam mundo credit abesse fidem.  
 Nunc mare, nunc terras animo scrutatur et urbes,  
 Pectore sollicitus, nec loca fida videt.  
 Tandem consilio dubitantis pectoris usus, 865  
 Curam custodis mittit ut uxor agat.  
 Accepto calamo, finitur epistola paucis;  
 Exul quam didicit, littera greca fuit.  
 Epistola Tancredi ad uxorem  
 "Hoc ego Tancredus tibi mitto, Sibilia, scriptum,  
 Quod, postquam tacito legeris ore, crema. 870  
 Tu quondam comitissa, modo regina vocaris,  
 Tu quondam Licium, tu modo regna tenes.  
 Quas nunc fastidis et que quandoque fuere,  
 Divitias, memori singula mente nota.  
 Hec est Rogerii protoregis nobilis heres, 875  
 Illius est uxor, qui quatit omne solum.  
 Hanc ego, dulcis amor, mea prebeatissima consors,  
 Servandam vigili pectore mitto tibi.  
 Sis comes et custos et ei sis ospes et hostis;  
 Hanc nunquam sine te, si sapis, esse sinas. 880

Una domus vobis, unum de nocte cubile,  
 Quam cuiquam sine te ne patiare loqui.  
 Deliciosa duas communicet una parabsis.  
 Nunc maior, nunc par, nunc minor esse velis."  
 Post hec, assissis sociis, Augusta Panormum 885  
 Convehitur. Multi condoluere senes.  
 Heu heu clamantes tacito sub pectore flebant:  
 "Heredem regni que manus ausa tenet!  
 Pro dolor!, ingrediens Augusta palacia patris, -  
 Pro pudor! - insidias obsidionis habet!" 890  
 Ipsa tamen gaudens tanquam vicisse resultat  
 Et quociens loquitur, visa superba loqui.  
 Cerree fastidit opus, fastidit amari,  
 Fausta sedens neutris imperiosa iubet.  
 Quo Cerrea dolet - per eam tum sepe vocatur - 895  
 Mittit Tancredo talia mota suo.

p. 153

**<Particula XXX.:**

**Uxor Tancredi rescribit viro  
 suo et Tancredus iterum  
 rescribit ei>**

Epistola uxoris ad Tancredum suum  
 "Quid facis, o demens? Comitem misistis an hostem?  
 Ecce, quod exarsit, ius patris hostis habet.  
 Venit ad hoc Cesar, sed ad hoc sua venit et uxor,  
 Victorem victum preda superba facit. 900  
 Non opus est armare viros, velare carinas,  
 Nec proceres belli nec numerare duces,  
 Nec vestire sinus maculosi tegmine ferri,  
 Non ensare manus, non galeare caput.  
 Protinus ut veniat, nullo discrimine vincet 905  
 Regna: per uxorem Cesar habebit opes.  
 Quas nimis ipse doles, causis male consulis egris:  
 In caput a stomacho morbus habundat iners.  
 Quam male dispensas aliis medicamina menbris,  
 Si caput ignoras. 910  
 Si caput egrotet, valeant et cetera membra?  
 Ni caput abrasas, cetera membra ruent."  
 Rescriptum Tancredi ad uxorem  
 Hec ubi Tancredus legit, que miserat uxor,  
 Altera rescriptum pagina tale tulit:  
 "Cara michi coniunx et casti fedus amoris, 915  
 Quam michi misisti, pagina robur habet.  
 Vir magne fidei, mature gratia mentis  
 Est ibi; consilio fac, rogo, cuncta suo.  
 Consule Matheum, per quem regina vocaris:  
 Illi debemus, quicquid uterque sumus. 920  
 Trans hominem divina sapit, videt omnia longe  
 Achitofel alter, pectus Ulixis habet.

Hunc igitur, michi cara nimis, de more vocatum  
Consule, consiliis ipsa quiesce suis."

p. 157

<Particula XXXI.: Uxor

**Tancredi et bigamus sacerdos**>

Uxor Tancredi vocato suo cancellario de viro conqueritur  
Nec mora Matheum tristis Cerrea vocavit, 925  
Sic ait: "O veterum bibliotheca ducum,  
O regni tutela, fides purissima regum,  
Antidotum vite, consule, mesta queror.  
Sensato de rege queror, quo nescio pacto  
Serpentem medio pectore gnarus alit. 930  
Ad senium properans, dementior exit ab annis  
Et iubet, unde iuvat penituisse senem.  
Que spes regnandi vel que michi vita superstes,  
Cum prope me patrio iure superba sedet?  
Et quotiens video, que Cesaris ore superbit, 935  
A, tociens animus deficit inde meus.  
Consule, quid faciam; privatis consule morbis,  
Nam cruciant animos nocte dieque meos."  
Responsio bigami  
Tunc ita Matheus: "Merito Sibilla vocaris,  
Nam procul experta mente futura vides. 940  
Regis culpa fuit, certe non inputo regi.  
Plurima cor nostri regis agenda gravant;  
Implicitus multum dominantis sensus oberrat,  
Et quandoque iubet, quod rationis eget.  
Et quia castra fidem quam plurima non bene servant, 945  
Urbes spem modice credulitatis habent,  
Vertitur in dubium, quo sit custode tuenda  
Vel quo servetur preda verenda loco."  
Inde suos deiecit humo Matheus ocellos;  
In cor se referens, premeditatus ait: 950  
"Est locus, est, memini, mediis contentus in undis,  
Quem maris ex omni parte tuentur aque,  
Quem vis nature cumulum produxit in altum,  
Qui circum scopulos sub pede rupis habet.  
A rate remivaga scopulis munitur acutis, 955  
Hinc lapis hostiles, hinc vetat unda pedes.  
Qui nomen Salvator habet, quia credita salvat;  
Tantaque sit tanto preda tenenda loco."  
Cerree placuit nimium, quod dixerat ille;  
Scribitur urbano pag<ina> parva viro: 960  
"Hanc, Alierne comes, mu<nito> carcere serves:  
Nil super hoc regi graciosius esse putes."  
Protinus Augustam, Cerrea precipiente,  
Ad te, Parthenope, remus et aura vehit.

p. 161

**<Particula XXXII.:**

**Scelera bigami>**

Sic scelus eructat, scelerum sic fumat abyssus, Thuraque mortiferi sulfuris olla vomit. Sic vetus exalat fumum putredinis antrum, Effundit, que vix texta venena capit. O Sodomea lues, o Gomorrea propago, Vixeris urbanis morsque ruina tuis.	965 970
Vas, va!, peccati, veteris vetus amfora fraudis, Fons odiique nephas, exciciale chaos, Templum Luciferi, qui noctem Lucifer odit, Qui, quanto voluit celsior esse, ruit. Duxeris unde genus, gens a me nulla requirat, Nam Cartago tuos dirruta misit avos. Paupere lintheolo tecti venere Salernum, Quorum pauperies quid nisi flere fuit? Quos utinam nunquam vidissent litora nostra! Ex hiis nature non quererentur opus, Officium quorum, nature crimen et hostis, Femineas ceca polluit arte genas. Exultans odiis, contraria pacis amasti, Ecclesie stimulus seu rationis honus.	975 980 985
Iusticiam viduis, viso non ere, negasti Multotiens sociis causaque litis eras. Primicias odii pro regno sepe litasti; Unde queri poterant secula, solus eras. Te sinus ecclesie contra decreta recepit: Peccati bigamum non decet ara dei. Te prece vel precio, sanctissime papa, fefellit, Nescio quo pacto tanta licere viro, Ut bigami scelerata manus tractaret in ara, Cui deus eterno se dedit esse parem. Sepe laboranti cum nil succurrere posset, Umano tepuit sanguine gutta pedum. Ut Paris exussit Troiam fataliter ustam, Ut Sodomos misere mersit abusa Venus, Urbs ita Lernina tibi credens, false sacerdos, Mortis in obprobrium per tua facta ruet.	990 995 1000
Quem, miser, extollis, qui ius usurpat et omen, Qui male consortes precipitando ruet! Nec tu, Parthenope, quod Cesar abinde recessit, Exultes: veniet fortior atque ferus. Ut Iovis ad predam, quanto volat altius, ales Descendens tanto fortius ungue ferit, Non aliter Cesar mundi descendet ab ala, Trux veniet tandem, qui fuit ante pius.	1005

p. 165

**<Particula XXXIII.:**

## **Epistula Celestini et liberatio**

### **Constancie>**

Temporis elapsu spacioque vagante dierum,  
A Celestino littera missa fuit: 1010  
"Hec, Tancrede, tibi mando per numina celi,  
Et nisi, quod iubeo, feceris, hostis ero.  
Unde tibi tantus furor aut dementia tanta,  
In iubar illicitas solis inire manus?  
Unde tibi tante superest audacia mentis? 1015  
Ausus es Experiam detinuisse diem?  
Iam tumet unda maris, iam fervet et ira leonis,  
Iam trepidant montes, iam mea cimba timet,  
Iam fera concuciant sine lege tonitrua mundum  
Iam polus ignescit, ethera fulgur agit. 1020  
Quam geris inclusam, trans Alpes cornua fundit  
Sollicitans solem regia luna suum.  
Quis tibi iura dedit? tribuit quis vincula Petri?  
Ius sine iure tenes connubiale viro.  
An tibi scepra parum regni sumsisse videtur? 1025  
Infelix, honeri cur superaddis honus?  
Sepius in stragem ruit incidentis et icta  
Allidens longe concutit arbor humum.  
Quem gerit, accintus gladiator leditur ense;  
Qui prius incepit verbera, plus doluit. 1030  
Et tibi contiget, Saladin quod contigit olim,  
Cuius Hierusalem lancea vicit humum.  
Crux ubi capta fuit, qua certa redemptio nostra est,  
Movit in actorem secula preda suum.  
Sic in te tua preda manus converterit omnes 1035  
Et compensabit libera preda vices.  
Hiis igitur lectis, tibi mitto, remitte maritam,  
Ipsa suum poterit pacificare virum."  
Hec ubi perlegit, Tancredus ut unda movetur,  
Ut quatitur tumidis parvula puppis aquis. 1040  
Ignorans, quid agat, dominam dimittere mundi  
Fluctuat et contra iussa tenere timet,  
Ut citus inveniens nemorum diversa viarum  
Compita, quo tendat tramite, nescit homo.  
Tandem consilium deliberat anxius in se: 1045  
Quam tenet inclusam, tristis abire iubet.

p. 169

### **<Particula XXXIV.:**

#### **Rex Anglie captus, liber**

#### **absolvitur>**

Cesaris ut fugeret leges tuas, Anglia, princeps,  
Turpis ad obsequium turpe minister erat.  
Quid prodest versare dapes, servire culine?  
Omnia, que fiunt, Cesar in orbe videt. 1050  
Rex sub veste latens, male nam vestitus ut oспes,



Captus defertur Caesaris ante pedes.  
 Cesar cesareum vocat ad se more senatum,  
 Conveniens regem talia questus ait:  
 "Quis tibi posse dedit, nostrum saturate cruoris, 1055  
 Nostros nocturna perdere fraude duces?  
 Parco tibi, iam liber eas in sanguinis haustum!  
 Nam tua Jerusalem dextra redemit humum.  
 Spectat adhuc certe reditus Trinacria nostros,  
 Que tibi sub falso munere preda fuit. 1060  
 Nam fallis miserum sola formidine regem,  
 Dissimulans bellum, iura sororis agens.  
 Te postquam vicit multo Tancredus in auro,  
 Ausus es in nostrum ius peribere fidem."  
 Rex ita respondit, tollens ad sidera palmas: 1065  
 "A meritis", inquit, "collige digna, deus!  
 O deus omnividens hominum, qui cernis abyssum,  
 Qui mare, qui terras concutis, astra legis,  
 Quam bene respondes patientibus ardua pro te:  
 Sic tuus emeruit miles ab hoste capi!" 1070  
 Hinc ait: "O Cesar, quod opus, que causa, quis actus  
 Me nunc incusant? Rem modo causa ferat.  
 Sum reus? - Auctor abest nec adest, sed abesse necesse  
 est;  
 Quisquis erit, vires regis et arma probet.  
 Salva pace tua, veniat, qui pugnet et instet 1075  
 Obiectis, faciens ensis utrique fidem.  
 An pugnare meo solus cum Cesare veni?  
 Absit! In hac humili veste quis arma movet?  
 Et si cum domino mundi pugnare licebit,  
 Unde michi veniet miles et unde pedes? 1080  
 O decus inperii, nec me sine iudice dampnes,  
 Nam tua iudicii crimine iura carent.  
 Me tibi committens, tuus oro mitius in me,  
 Quam meritum nostri postulet, ensis agat."  
 Flectitur hac humili prece, quem non mille talenta 1085  
 Nec summi potuit flectere carta patris.  
 Imperio postquam iurans se subdidit, inquit:  
 "Vivat in eternum lux mea, liber eo."

p. 173

### <Particula XXXV.: Quando

#### **Dipuldus aggressus est>**

Interea Dipuldus ovans armenta capiscit;  
 Virtutis sequitur gratia diva virum. 1090  
 Castra superba cremat, capit oppida, territat urbes,  
 Ad Tancredinam que rediere fidem.  
 Sub pede Montis adest uberrima villa Casini,  
 Que nec pastori credere cauta fuit.  
 Hanc ferus invadens, Dipuldus ab aggere dextro 1095  
 Dissipat instantes, ut leo magnus oves.

Cuius ab agricolis circumdatus, a tribus horum  
 In triplici cultro digladiatur equus.  
 Stans pedes, ense pedes duos detruncat et armos, 1100  
 Se fore Dipuldum clamat et ense probat.  
 Ut trepidant volucres, Iovis in quas fulminat ales,  
 Ut lepus algescit, lapsus ab ore canis,  
 Non aliter gens illa timet victoris ab ense,  
 In Diopuldeo nomine victa cadit.  
 Subditur imperio sacrati villula castris, 1105  
 Et facit invitam dextra coacta fidem.  
 Idem post modicum, paucis comitatus alumpnis,  
 Exiit a castro, sortis agebat iter.  
 Illo forte die propriam comes ibat in urbem,  
 Ibat in adversum, sorte latente, virum. 1110  
 Ex hac Dipuldus, comes ex hac obvius ibat;  
 Alter in alterius nescius ibat iter.  
 Ventum est ad faciem, fit clamor vocis utrinque,  
 Confractis sudibus, tela reclusa micant.  
 Hic ferit, ille ferit, cadit hic, super hunc stat et ille, 1115  
 Dentipotens comitem denique vicit aper.  
 Sic Diopuldeus vir quisque suum ligat hostem,  
 Captivosque ferunt in sua castra viros.

II (pp. 177-217)

p. 177

**EXPLICIT LIBER PRIMUS**

**INCIPIT LIBER SECUNDUS**

**<Particula XXXVI.: Stolium**

**et exercitum imperator**

**fieri iubet>**

Ut pius armipotens fugat omnem letus eclipsin,  
 Reddit et Experios in sua iussa deos. 1120  
 Imperat hinc puppes animosus ubique parari;  
 Nec mora: que fiunt, vix capit unda rates.  
 Marchio quinque minus transmisit mille carinas,  
 Austrinus totidem miserat octo minus,  
 Turineus centum septem minus equore classes 1125  
 Annumerat, Scavus non minus equor arat,  
 Bawarus eversat centeno remige pontum,  
 Alsaticusque pari remige spumat aquas.  
 Ter quater octo rates portantes agmen equorum  
 Belgicus et totidem linthea Saxo tulit. 1130  
 Mille rates ter quinque minus Pomeranicus armat,  
 Flandicus equoreas sulcat amicus aquas.  
 Sex decies Ligur ventis dedit ampla secundis  
 Vela, set Olsaticus per freta longa volat.  
 Mille viros etate pares Burgundia mittit, 1135  
 Mittit victrices Tusciam mille manus.  
 Mille quidem clipeos, Iovis arma, Suevia gestat,

Mille faretratos magna Boema viros.  
Mille coruscantes mittit Lothoringia cristas,  
Mittit et ignivomas Anglia mille manus. 1140  
Mille Polona viros nididis presentat in armis,  
Francia mille boum bellica terga tulit.  
Mittit silvicole Brabantia tela Diane,  
Balistas lectos Frisia mittit humus.  
Bis duodena ducum superum sol regna vocavit: 1145  
Per mare, per terras numina Cesar habet.  
Letus in Apuliam properat primoque Salernum  
Appetit, urbs merito depopulanda suo.  
Vulneris elapsi memor est quandoque cicatrix.  
Qui sput in celum, polluit ora sui. 1150

p. 181

**<Particula XXXVII.:**

**Loquutio archilevite ad cives**

**Salerni>**

Haud procul armipotens, venit archilevita Salernum,  
Cum quo, cui nomen Guarna, Philippus erat.  
Sic ait: "O cives, ego sum, qui multa laborum  
Pondera portavi, multa timenda tuli.  
Nunc redeo salvare meam, si creditis, urbem: 1155  
Credite concivi, credite, vera loquor.  
A domino factum est pro vobis exul ut irem:  
Joseph nunc vobis pacifer alter ero.  
Peccastis graviter; peccatum noscite vestrum,  
Nam mens fessa sibi grande relaxat honus. 1160  
Iam prope Cesar adest, iam Cesaris arma coruscant,  
Iam vexilla micant, iam sua signa tonant.  
Mittite de vestris, qui dicant: 'Reddimus urbem,  
Subiacet imperio phisica terra tuo.  
Parce tuis servis, non pena, set nece dignis: 1165  
Que poterit nostrum pena piare scelus?'  
Ad veniam, credo, flectetur more Tonantis,  
Vobiscum faciens absque rigore pium.  
Ut Nazarenus deus a patre natus in orbem  
Venit, in umano tegmine factus homo, 1170  
Ipse quidem tota cum maiestate futurus  
Pro meritis iudex omne piabit opus,  
Sic meus armipotens primo pius atque benignus  
Nos adiit, sed nunc ut grave fulmen adest.  
Iam non multa loquar, quia iam Nuceria sentit,  
Que loquor; urbs vestra mane videbit idem." 1175  
\*\*\*

p. 185

**<Particula XXXVIII.:**

**Gesta Dipuldi>**

Interea Siculis solo terrore subactis,  
Dux ratis auguste Cesaris urget iter.

Ut properet, scribit: "Quia iam Trinacria victa est,  
 Et puppes, profugo rege, redire rogant. 1180  
 Iam satur a misere spoliis exercitus urbis  
 Fastidit victa victor in urbe moras."  
 Mane dato signo, tunc Calandrinus in alto  
 Milicie socium circuit agmen equo,  
 Imperat, ut properent; tutum est properare Panormum. 1185  
 Nec mora Teutonici iussa iubentis agunt.  
 Est data Dipuldo renovandi cura Salernum  
 Nec non totius tradita iura soli.  
 Vir pure fidei, vir magni nominis, omnis  
 Milicie titulus, imperiale decus, 1190  
 Quem nec promissum numerosi ponderis aurum  
 Movit nec potuit sollicitare timor,  
 Hostibus in mediis quam plurima castra subegit  
 Egregios alacer vicit in ense viros.  
 Cuius virtutis preconia vidit Aquinum, 1195  
 Quo vicit victor milia quinque virum.  
 Vera loquar falsumque nichil mea Musa notabit,  
 Nec mea Romanas fistula fallat aves.  
 Quodam forte die veniens Dipuldo ab Archi,  
 Colligit in multos fulmifer arva sinus, 1200  
 Innumeras predatur oves, capit agmen equorum,  
 Agricolas multos et iuga mille boum,  
 Que venale genus factum vicepastor agebat;  
 Heu heu, dux prede vile lupanar erat.  
 Cum victor tandem castrum saturatus adiret, 1205  
 Spectat in adversum milia quinque viros,  
 Qui predam certare parant, stringuntur in arma,  
 Et tamen expositos Guido retardat equos.  
 Tunc Dipuldo ait: "Michi, sors, quam sera videris!  
 Hoc mens, hoc animus, hoc mea vota petunt! 1210  
 Me probet esse virum, contra quicumque coruscat."  
 Exhinc ad socios talia verba dedit:  
 "Nec vos aspectus numerosi terreat hostis:  
 Femineos tellus parturit ista viros.  
 Ad speculum natos effeminat umbra quietis, 1215  
 Quos alit in teneris dulce cubile rosis  
 Hii Tancredini, sumus et nos imperiales.  
 Hii pecudes, sed nos dicimur esse sues.  
 Sus agat in pecudes et eas et vellera portet;  
 Audaces sequitur sors bona sepe viros." 1220  
 Hactenus innixus clipeo, commissus et aste,  
 Dum ferit eversos, terga ferire pudet.  
 Mille viros flexa procer unus inebriat asta,  
 Et ligat et tondit mille vir unus oves.  
 Nec tracto, quod Neapolim devicit inhermis; 1225  
 Quod loquor, expertum Terra Laboris habet.

p. 189

<Particula XXXIX.:

**Legatio Panormi>**

Interea Cesar, superato Calabre toto,  
Venit ad Insanas indubitanter Aquas.  
Classibus expositis, furiosas transfretat undas,  
Post hec Messane paulo moratus abit. 1230  
Fabariam veniens, socerum miratus et illam,  
Delectans animos nobile laudat opus.  
Legati quem preveniunt ex urbe Panormi,  
Debita commisse verba salutis agunt. 1235  
Exponunt animos populi mentesque serenas,  
Affectum iuvenum propositumque senum.  
Ore ferunt uno: "Tu sol, tu lumen in orbe,  
Tu spectata dies, qui sine nocte venis,  
Tu regni tenebras armata luce fugabis,  
Discutiens lites copia pacis eris, 1240  
Qui mundum sub pace ligas, qui bella coherces,  
Inclita qui regum sub pede colla teris.  
Quis rex, quis princeps, quis dux tua iussa recusat?  
Quis valet, armato Cesare, bella pati?  
Nam servire tibi mundo regnare videtur: 1245  
Maior in hoc magno Cesare Cesar eris.  
Hen, profugus nostram dimisit regulus urbem,  
Radicem colubri Catabelotus alit."  
Cesar ubi tante fidei legata recepit,  
Pace triumphali mandat in urbe frui. 1250  
Protinus edictum sonat imperiale per omnes,  
Ne quis presumat, unde querela venit,  
Et pedes et miles caute pomaria servant,  
Cesaris adventus nulla virecta gravet.  
Hec postquam preco clamando circuit agmen, 1255  
Urbem pacifico milite Cesar adit.

p.193

**<Particula XL.:****Sibille questus>**

Hec ubi Tancredi miseri miserabilis uxor  
Respicit, ut glacies mane novella riget.  
Membra cruor, calor artus, spiritus ossa reliquit,  
Vix a femineis est recreata viris. 1260  
At postquam sumpsit dubias in pectore vires,  
In lacrimas oculos solvit amara suos.  
Brachia iactat humo, quos leserat, ausa precari  
Sanctos: nec Paulus nec Petrus audit eam.  
Colligit in meritum periuria multa mariti 1265  
Et cedes hominum nequicieque genus.  
Causatur sua gesta prius, causatur et inde  
Periuri tociens impia facta viri.  
Sic ait: "O, utinam Lichio comitissa manerem,  
Terrerent animos prelia nulla meos, 1270  
Vir michi forsitan adhuc superesset et inclita proles.  
Nunc Lichium tristis orba duobus eo.

Vidisset numquam visus Trinacria nostros,  
Nunc michi deserte dos mea tuta foret.  
Quam cito falsus honor nos deserit et fugit omnis, 1275  
Ut nova furtivus bruma liquescit honor.  
Ardeat in medio vicecancellarius orco,  
Qui fuit excicii sedula causa mei.  
Quantum nequicie quantumve tyrannidis ausus  
Vir meus, in penas hec tulit hora meas. 1280  
Ei michi, quid prodest, quod rex tulit Anglicus aurum?  
Ei michi, quid prosunt, que tibi, Roma, dedi?  
Thesauros exausta meos succurre relicte,  
Auxilium perhibe, si potes, ipsa michi.  
Cur tua carta virum tibi dantem dona fefellit? 1285  
Hen, tuus 'egrotus' regnat et arma tenet.  
'Mortuus', hen, vincit, tuus 'eger' in urbe triumphat:  
Sic tua decepit littera falsa virum.  
Ei michi, nec tutum est Romane credere puppi,  
Que, quas insequitur, has imitatur aquas. 1290  
Nec michi Greca nurus prodest, dulcissime fili,  
Quam, nec adhuc visa fronte, Philippus amat.  
Ergo, quod est tutum, veniam summissa precabor,  
Effundens lacrimas Cesaris ante pedes.  
Singultus, lacrimae, gemitus, suspiria, fletus, 1295  
Hec vir et hec proles, hec michi frater erunt.  
Pro me pugnabunt pro me dominumque rogabunt,  
Plus facient lacrimae, quam mea tela, michi.  
Plus poterit pietas quam milia mille Quiritum,  
Plus prece quam telis Cesar habendus erit." 1300

p. 197

**<Particula XLI.: Imperator  
occupat triumphans regiam>**

Postquam questa sui lacrimabilis omina fati,  
Ad Lichium veniam poscit itura suum.  
Inpetrat et supplex nato veniamque nepoti.  
Inde triumphantem suscipit aula ducem.  
Regia letatur, tenebrarum nube fugata, 1305  
Exultans iubilos promeruisse dies.  
Cesar ut accepit sceptrum regale potenter,  
Multiplicat Carolis nomen et omen avis.  
A viciis mundat sacrata palacia regum  
Et Saturninos excutit inde dolos, 1310  
Et Iovis et magni tempus novat Octaviani.  
Integra sub nostro pax Salomone redit:  
Que sub Tancredo dudum defuncta manebat,  
Cesare sub nostro vivida facta viget!  
Cesaris invicti pax nobis exit ab armis, 1315  
Nostra stat in nudo Cesaris ense salus.  
Putifares omnes claves et scrinia portant,  
Adsignant, quasquas fiscus habebat opes.  
Thesauros numerant, quos vermis araneus ille

Auserat et frustra retia nevit apris. 1320  
 Primus neutrorum claves escrinia omnes,  
 Alter apodixas explicat, alter opes.  
 Hec, quantum Calaber seu quantum debeat Afer,  
 Apulus aut Sículus debeat, orbis habet.  
 Miratur gazas, quas antiquissimus ardor 1325  
 Sortis in incerte grande redegit honus.  
 Divicias partitur eis, quos prelia nulla  
 Terruerant, bello nec renuere mori.  
 \*\*\*

p. 201

**<Particula XLII.: Coniuratio  
 proditorum detegitur>**

At deus, inpaciens fraudis scelerisque nefandi,  
 Puplicat in lucem, quod tegit archa nephas. 1330  
 Nam nichil admittit felix fortuna sinistrum,  
 Nec possunt, quod obest, prospera fata pati.  
 Hec tria felices comitantia Cesaris actus  
 Quam bene dispensant: sors bona, fata, deus!  
 Consciis archani quidam secreta revelat 1335  
 Et docet insidias enumeratque viros.  
 Detegit et scriptum nocturna lampade factum,  
 Quod docet in Caypha presule posse capi.  
 Ostupet armipotens famulos miratus iniquos  
 Ducit et in dubiam verba relata fidem. 1340  
 Postquam certa fides super hiis datur, indice scripto,  
 Coniuratorum dissimulatur opus.  
 Curia contrahitur, resident in iure vocati  
 Quisque sibi dubitans, multa timenda timent.  
 Iamque silere dato, solio redimitus ab alto 1345  
 Exolvit querulo Cesar in ore moras:  
 "Quis pro pace necem vel quis pro munere dampnum  
 Aut quis pro donis dampna meritur?", ait.  
 "Nec Christo Cayphas fecit nec seuius Anna,  
 Quam michi conscripte disposuere manus." 1350  
 Protinus armiferis pleno iubet ore ministris,  
 Ut capiant, quosquos littera lecta notat.  
 Qui cito mandatis implent pia iussa receptis,  
 Infectos capiunt prodicione viros.  
 Dampnatos ex lege viros clementia differt, 1355  
 Et suffert pietas impietatis honus.  
 In condemnatos meritum sententia tardat,  
 Quo datur, ut vinctos Apula dampnet humus.  
 Quam Cesar properans ex parte licenciat agmen,  
 Ne gravet urbanos maxima turba suos. 1360  
 Bawarus et Scavus, Lonbardus, Marchio, Tuscus,  
 In propriam redeunt Saxo, Boemus humum.

p. 205

**<Particula XLIII.:**

**Frederici nativitas>**

Venit ab Experia nativi palma triumphii  
Pernova, felicis signa parentis habens.  
Duxerat in gemitum presentis secula vite, 1365  
Quod fuerat fructus palma morata suos.  
Serior ad fructus tanto constantior arbor  
Natifacat tandem sicut oliva parens.  
Cumque triumphator nudis iam parceret armis,  
Nascitur Augusto, qui regat arma, puer. 1370  
Felix namque pater, set erit felicior infans:  
Hic puer ex omni parte beatus erit.  
Nam pater ad totum victricis cuspidem partes  
Ducet et imperium stare, quod ante, dabit.  
Hoc speculatur Arabs, et idem suspirat Egyptus; 1375  
Hoc Jacob, hoc Ysaac a Daniele sapit.  
O votive puer, renovandi temporis etas,  
Exhinc Rogerius, hinc Fredericus eris,  
Maior habendus avis, fato meliore creatus,  
Qui bene vix natus cum patre vincis avos! 1380  
Pax oritur tecum, quia, te nascente, creamur;  
Te nascente, sumus, quod pia vota petunt;  
Te nascente, dies non celi sidera condit;  
Te nascente, suum sidera lumen habent;  
Te nascente, suis tellus honeratur aristis; 1385  
Suspecti redimit temporis arbor opes.  
Luxuriant montes, pinguescit et arida tellus,  
Credita multiplici sorte respensat ager.  
Sol sine nube, puer, nunquam passurus eclipsim,  
Regia quem peperit solis in orbe dies. 1390  
Amodo non timeam suspecte tempora noctis:  
Per silvas, per humum, per mare tutus eo.  
Non aquilam volucres, modo non armenta leonem,  
Non metuent rapidos vellera nostra lupos.  
Nox ut clara dies gemino sub sole diescit, 1395  
Terra suos geminos sicut Olympus habet.

p. 209

**<Particula XLIV.:****Frederici presagia>**

Res rata, quam loquimur, quidam presentat Yberus  
Piscem, qui nato Cesare dignus erat.  
Quem puer accipiens, bene dispensante magistro,  
Dividit. 1400  
Pisce tripartito, gemina sibi parte retenta,  
Quod superest, patri mittit abinde puer,  
Maxima venture signans presagia vite:  
Quod sibi detinuit, vesper et ortus erit!  
Tercia pars, que missa fuit, designat, in armis 1405  
Tercia pars mundi quod sit habenda patri.  
Vive, puer, decus Ytalie, nova temporis etas,  
Qui geminos gemina merce reducis avos.



Vive, iubar solis, sol regnaturus in evum,  
 Qui potes a cunis luce iuvare diem. 1410  
 Vive, Iovis proles, Romani nominis heres,  
 Inmo reformator orbis et inperii.  
 Vive, patris specimen, felicis gloria matris,  
 Nasceris in plenos fertilitate dies.  
 Vive, puer felix, felix genitura parentum, 1415  
 Dulcis amor superis, inclite, vive, puer.  
 In media sine nube die tibi panditur Yris,  
 Omnitenens medio sol stetit orbe suo.  
 Unde venit Titan et nox ubi sidera condit,  
 Ex Yri metas sol videt esse tuas. 1420  
 Vive, puer, dum vesper erit, dum Lucifer ardet:  
 Nunquam seu nusquam vespere dignus eris.  
 Vive, puer, dum litus agit, dum nubila ventus,  
 Ut videas natis secula plena tuis.  
 Vive, patris virtus, dulcissima matris ymago, 1425  
 Vive diu, dum sol lucet et astra micant.  
 Vive diu, Iovis et superum pulcherrime princeps,  
 Vive diu, proavus factus ad astra voles.  
 \*\*\*

p. 213

**<Particula XLV.:  
 Corradi cancellarii loquutio  
 ad proceres regni>**

\*\*\*

Quos \*\*\*  
 Et que dictarat \*\*\* 1430  
 Sit licet immanis commissi sarci<na fraudis>,  
 Hec Augustali fit pietate minor.  
 Sic igitur servate fidem, ne sera cicatrix  
 Vulnus in antiquum rupta redire queat.  
 Nam meus Augustus, qui lites diligit, odit: 1435  
 Mites et pueros more Tonantis amat.  
 Ne quis ob exilium, quod dudum pertulit in se,  
 Elatus rediens civibus esse velit.  
 Cesaris oceanum superat clementia magnum,  
 Et tamen illius commovet ira deos. 1440  
 Si quis Tancredum nimium dilexerit olim,  
 Quid, nisi per vanas brachia movit aquas?  
 Vivit in Augusto pietas et gratia crescens  
 Et gladius vindex, vivit et hasta potens.

p. 217

**<Particula XLVI.: Libellus ad  
 Augustum inscribitur>**

SOL AUGUSTORUM, 1445  
 Qui regis ad placitum victor in axe rotas,  
 Fortunam tua dextra novam sibi condit ubique,  
 Ducis fortune quo tibi frena placet.

Legi, quos veterum servant armaria, libros: Inveni titulis cuncta minora tuis.	1450
Nec Salomon nec Alexander nec Iulius ipse Promeruit, vestri quod meruere dies. Sextus ab equivocis sexto quod scriberis evo, Signas etatis tempora plena tue.	1455
Vivat honor mundi, vivat pax plena triumphis, Vivat et eterno nomine regnet avus, Ut videas natis plenumque nepotibus evum, Tempora zodiaci dum rota solis agit.	1460
Suscipe, queso, meum, sol Augustissime, munus, Qui mundum ditas, qui regis omne solum. Suscipe, queso, meum, lux indefecta, libellum: Ipse sui vatis vota libellus agat.	1465
Interpretatio huius nominis HENRICI Collige primas litteras de primis dictionibus subscriptorum versuum et nomen habebis imperatoris et de ipsis primis dictionibus eiusdem victoriam imperatoris perpendere poteris. <b>HIC</b> princeps, ut habet Danielis nobile <b>scriptum</b> , <b>EXALTABIT</b> avos, subigens sibi victor <b>Egyptum</b> . <b>NOMEN</b> in herede patria virtute <b>quiescet</b> . <b>ROMANI</b> iuris duplici rogo igne <b>calescet</b> . <b>IMPERII</b> formam templique reducet ad <b>hastra</b> . <b>CUM</b> non hostis erit, sua ponet cum Iove <b>castra</b> . <b>VICERIT</b> ut mundum, Syon, David arce, <b>redempta</b> , <b>SICILIAM</b> repetens, Rome reget aurea <b>sceptra</b> .	1470

III (pp. 221-245)

p. 221

<**EXPLICIT LIBER SECUNDUS**>

**INCIPIT LIBER TERCIVS**

**ad honorem et gloriam magni  
imperatoris**

<**Particula XLVII.: Sapientiam  
invocat poeta**>

Desine, Calliope; satis est memorasse, quod holim  
Tityrus ad fagi tegmina duxit oves.

Desine tu, Pean, celeberrima, desine, Clio:  
Sit mugisse satis commemorasse Iovem.

Non mea Calliopes nec Apollinis ara litabit  
Carmina, que pecudum, que vorat, exta litant.

Te peto, te cupio, summi Sapientia patris,  
Que legis eterna mente, quod orbis habet.

Tu pelagi metiris aquas, metiris abissum;  
Te metuunt solam, te venerantur aque.

Tu patrii legis astra poli, tibi servit Olympus,  
Te sine vita perit; te sine nemo sapit.

Nam quod sol hominum, Salomon, David inclita proles,

Sensit seu meruit, creditur esse tuum.  
 Tu, massam discepta rudem, tu, litis amice 1485  
 Primicias certo conciliata loco,  
 Tu depinxisti fatali sidere celum:  
 Unde venit, nosti, Phebus et unde soror.  
 Nam quod friget yemps, ver umet, torret et estas,  
 Siccitat autumnus, creditur esse tuum. 1490  
 Quod breve litus aquas refrenat turbine motas,  
 Quod montes, quod humum sustinet unda, tuum.  
 Tu, pudor eternus, sacraasti virginis alvum,  
 Tu sata, tu nascens, tu genitura creans.  
 Thesauros aperi, veniens illabere celo: 1495  
 Semper es ut verax, da michi vera loqui.  
 Tu divina loqui Petro post rete dedisti,  
 Ex uno per te flumina ventre fluunt.  
 Nec minor in partes divisa, set integra constas,  
 Ut vis et que vis, dans tua dona tuis. 1500  
 Hos genus eloquii, mentes interpretis illos,  
 Hos virtutis opus promeruisse facis.  
 Da michi cepta loqui, da ceptis fine potiri,  
 Possit ut Augusto Musa placere suo.

p. 225

**<Particula XLVIII.:**

**Pax tempore Augusti>**

Fortunata dies, felix post tempora tempus, 1505  
 Que sextum sexto tempore cernit herum!  
 O nimis etatis felicia tempora nostre,  
 Propugnatorem que meruere suum!  
 Gaudeat omnis humus, tellus sine nube diescat,  
 Rorem spectati muneris astra pluant. 1510  
 Mane serena dies venit et serotinus imber:  
 Imperium Cesar solus et unus habet.  
 Iam redit aurati Saturnia temporis etas,  
 Iam redeunt magni regna quieta Iovis.  
 Sponte parit tellus, gratis honeratur aristis, 1515  
 Vomeris a nullo dente relata parit,  
 Nec fecunda fimo nec rastris indiget ullis  
 Mater opum, pecori prospera, grata viris.  
 Omnis olivescit Phebeis frondibus arbor,  
 Vix arbor partus sustinet orta novos. 1520  
 Nec rosa nec viole nec lilia, gloria vallis,  
 Marcescunt, aliquo tempore nata semel.  
 Felix nostra dies, nec ea felicior ulla,  
 Lecior aut locuplex a Salomone fuit.  
 Evomuit serpens virus sub fauce repostum, 1525  
 Aruit in vires mesta cicuta suas.  
 Nec sonipes griphes nec oves assueta luporum  
 Ora timent: ut ovis stat lupo inter oves.  
 Uno fonte bibunt, eadem pascuntur et arva  
 Bos, leo, grus, aquila, sus, canis, ursus, aper. 1530

Non erit in nostris, moveat qui bella, diebus;  
 Amodo perpetue tempora pacis erunt.  
 Nulla manent hodie veteris vestigia fraudis,  
 Qua Tancridinus polluit error humum,  
 Ipsaque transibant derisi tempora regis. 1535  
 Nam meus Augustus solus et unus erit,  
 Unus amor, commune bonum, rex omnibus unus,  
 Unus sol, unus pastor et una fides.

p. 229

**<Particula XLIX.: Teatrum  
 imperialis palacii>**

Dic, mea Musa, precor, genuit que nobilis alvus  
 Henricum, vel que dextra cubile dedit? 1540

Que superum nutrix dedit ubera, quis dedit artes?  
 Quis puero tribuit scire vel arma viro?

Quave domo genitus fuerit puer, aurea proles,  
 Quis pater, unde parens, dic, mea Musa, precor. 1545  
 Est domus, etherei qua ludunt tempora veris,

Ipse domus paries ex adamante riget.

Ante domum patulo preludit sole teatrum,

Quo salit in medio fons, Arethusa, tuus.

Ipsa quater denis innititur aula columpnis,  
 In quibus imperii tota quiescit humus. 1550

Hic Corradus adest, iuris servator et equi,

Scribens edictum, certa tributa legens.

Cancellos reserans, mundi signacula solvens,

Colligit Italicas, alter Homerus, opes.

Nulla fames auri, sitis illi nulla metalli; 1555

Res nova, quam loquimur: mens sua numen habet.

Diligit ecclesiam nec matrem filius odit,

Dux evangelii, iuris aperta manus.

Angelus in multos necnon paracletus in omnes

Mittitur, et missi fatur in ore deus. 1560

Hic Marcualdus, cui se Neptunus ad omne

Velle dedit, cui Mars se dedit esse parem.

Illuc conveniunt ex omni cardine mundi,

Dantes Augusto plena tributa, duces,

Quos brevis absolvit positis apodixa tributis, 1565

Quam tua, Corrade, griphea signat avis.

Hic grave pondus Arabs missi deliberat auri,

Hic melechinas exhibet Indus opes

Et decus et precium, gemmas dat Persis et aurum,

Materiam superans mittit Egyptus opus. 1570

Argentum, gemmas, auri genus, inclite Cesar,

Delicias hominum, quas habet orbis, habes.

p. 233

**<Particula L.:  
 Domus imperialis palacii>**

In talamos sex una domus partitur, et horum

Prima creatoris regia scribit opus.  
 Illic in specie super undas diva columbe 1575  
 Maiestas operum pingitur, ipse deus.  
 Altera fatiferum cataclismi pingit abyssum.  
 Tercia fert Habrahe credulitatis iter.  
 Quarta Faraonem submergens nudat Egyptum.  
 Quinta domus David tempora regis habet. 1580  
 Sexta Fredericum divo depingit amictu,  
 Cesarea septum prole senile latus.  
 Hic Fredericus ovans in milibus undique fretus  
 Fervidus in Christo miles iturus erat.  
 Hic erat annosum multa nemus ylice septum, 1585  
 Non nisi per gladios silva datura vias.  
 In nemus omne furit ferrum, nemus omne favillat,  
 Fit via, quod dudum parte negabat iter.  
 Hic erat, infide, tua fallax, Ungare, dextra,  
 Qualiter invito te Fredericus abit. 1590  
 Hic Ysaac mentita fides et fictile fedus,  
 Illic Grecorum non sine cede dolus,  
 Hic obsessa Polis necnon plantata per annum  
 Vineae, cesaree quam coluere manus.  
 Hic Conii pinguntur opes et bella ferocis, 1595  
 Hic Frederici ales fulminat ense procer.  
 Hic pater arma tenet; subit illic filius urbem,  
 Pars prior Augusto sub seniore cadit.  
 At postquam Conii spoliis saturantur et auro,  
 Castra movent; nec eis cura quietis erat. 1600  
 Proh dolor, ad flumen ponunt tentoria Tharsis,  
 Quo lacerat tumidas nans Fredericus aquas.  
 Suspectas invenit aquas, qui raptus ab undis  
 Exiit humanum, servit et ante deum.  
 Vivit in eternum Fredericus, lancea cuius 1605  
 Nunquam fraudato cuspidem versa fuit.

p. 237

**<Particula LI.: De septem  
artibus liberalibus>**

Illic diva parens superum, Sapientia mater,  
 Uberis Henrico munera digna dabat.  
 Ipsa ministrantes septem conventa sorores,  
 Ut puerum doceant, officiosa rogat. 1610  
 Prima loqui recte docet, altera iurgia linguae,  
 Tercia conditos reddit in ore sonos.  
 Quarta, quid astra velint, cum visa coire retrorsum,  
 Quinta docet numerum pro ratione legi.  
 Sexta gradus in voce suos docet impare cantu, 1615  
 Septima metiri posse magistrat humum.  
 Suscipit in gremio virtutum gratia mater  
 Ore virum, iuvenem corpore, mente senem,  
 Quem virtus dilapsa polo sic possidet omnis,  
 Singula quod virtus asserat esse suum. 1620

Hec mores informat et usibus illa coaptat;  
 Hec sibi preiustum vindicat, illa pium;  
 Hec, ubi res poscit, rigidum facit, illa modestum:  
 Lex quandoque potest de pietate queri.  
 Arma fatigarant superos, que contulit illa: 1625  
 Sic sic era rigent, arma quod hoste carent.  
 Quod Numidos, quod Sarmaticos sibi Roma subegit,  
 Unde redit Titan, nox ubi prima subit,  
 Magnus Alexander Darium quod vicit in armis,  
 Quod fuit imperio terra subacta suo, 1630  
 Et quod Pompeium Cesar patresque fugavit,  
 Unde Tolomei crimen Egyptus habet:  
 Nullus ei similis, nisi proles, nemo secundus,  
 Diis meus Henricus equiperandus erit.  
 Dicitur Henricus; latet hac in voce triumphus: 1635  
 Quod latet, in partes littera ducta parit.  
 Certant virtutes, certatim munera prebent,  
 Crescit in Augusto gratia plena meo,  
 Infra quem gremium Sapiencia dulce recepit:  
 Hec os ore docet, pectore pectus alit. 1640

p. 241

**<Particula LII.:**

**Sapiencia convicians Fortune>**

Inclita regales crispans Sapiencia vultus  
 Aspera Fortune talia verba dedit:  
 "Sit tuus Andronicus, saturatus cede nepotis,  
 Cui cruor Ytalicus potus et esca fuit.  
 Sit tuus Andronicus, qui crassus cede suorum 1645  
 Addidit ex omni stirpe necare probos.  
 Cuius ad extremum licet impar pena reatu,  
 Mors sua perpetuo vindice feda caret.  
 Sit tuus ille senex, qui raptus ut Yccarus alis  
 Occidit et pelago flet sua mersa ratis. 1650  
 Occidit, ut quondam series inmensa gigantum,  
 Quis fuit imperium cura videre Iovis.  
 Sic et Tancredus multo miser ebrius auro  
 Occidit, in dominum dum tulit arma suum.  
 Si potes, Andronicum civilibus eripe telis; 1655  
 Si potes, alterius regna tuere senis.  
 Nam meus Henricus materna sede sedebit,  
 In qua rex Salomon sedit in orbe potens.  
 Talis erit sedes: ebur uxorabit in auro;  
 Hoc hominum sensus exuperabit opus. 1660  
 Bis senos habitura gradus Henricia sedes,  
 Ex auro sex, sex ex adhamante gradus,  
 Per quos fulvescent civili more leones:  
 Ordine suppositi iussa sedentis agant.  
 Procedant de sede throni, res ardua, grifes, 1665  
 Procedant aquile seu Nucerinus aper,  
 Procedant rigidi nostra de sede leones,

Procedat fenix, nuncia pacis avis.  
A leva Neptunus aquas castiget, et omne  
Iuppiter a dextris corrigat ipse solum. 1670  
A leva citharam moveat Mercurius aure,  
Omnividens dextra Phebus in aure legat.  
Mars pre sede sedens gladius territet orbem,  
Cogat ad imperium sidera, fata, deos."

p. 245

Ego magister Petrus de Ebulo, servus imperatoris fidelis, 1675  
hunc librum ad honorem Augusti composui.  
Fac mecum, domine, signum bonum, ut videant me  
Tancredini et confundantur. In aliquo beneficio mihi  
provideat dominus meus et deus meus, qui est et erit  
benedictus in secula. Amen.

il *De Hastingae Proelio* di Widone di Amiens, il *Draco Normannicus* di Stefano di Rouen, il  
*Carmen de bello Saxonico*, il *Ligurinus*, il *Solimarius*, i *Gesta Roberti Wiscardi* di  
Guglielmo Pugliese, o i *Gesta Friderici I*